

Yc  
6514

1777-72





h. 949.

INDEX

YC  
6514

LECTIONVM

PUBLICARVM ET PRIVATARVM

QVAE

AB MAGISTRIS SCHOLAE THOMANAE

HABEVNTVR

INDE AB EXAM. VERNO A. C. CIO IOCC LXXI

VSQVE AD EXAM. VERNVM A. C. CIO IOCC LXXII



LIPSAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA

INDEX  
LECTIONVM

PUBLICARVM ET PRIVATARVM

QVAE

AB MAGISTRO SCHOLAE THOMAS

HABERVNT

INDE AD EXAM. TERMO. A. C. CIOCCXXI

1707 AD EXAM. TERMO. A. C. CIOCCXXII



LIBRARI

EX OFFICINA L. K. SCHNEIDER



**Q**uum cura sollers et ingeniosa cultura arborum, fru-  
 mentorum, pecudum, omninoque omnium rerum,  
 domesticarum indigenarumque a nemine vituperetur,  
 immo vehementer ab omnibus laudetur: studia eorum, qui  
 versentur in comenda et ornanda, augenda et locupletanda,  
 lingua vernacula facile apparet magnis extolli laudibus oportere.  
 Sed nullo modo probanda putamus instituta illarum  
 scholarum minorum, in quibus pueri et adolescentuli, qui natu-  
 ram et ingenium, dotes et ornamenta, linguae Latinae et Grae-  
 cae cognoscere debebant, neglecta hac doctrinae liberalis parte  
 maxime necessaria, leges et praecepta sermonis patrii, ab Got-  
 schedio et aliis data ac proposita, discere atque imbibere iubentur.  
 Etenim hac linguae vernaculae cura meris puerorum fere  
 ita, vel capitur et tenetur, vel differtur et distrahitur, ut initia  
 Latini Graecique sermonis, firmissima doctrinae verae grauis-  
 que omnis fundamenta, attingere neque possint neque velint:  
 et quum Graeci Romanique veteres Grammaticae omni-  
 um studiosissimi fuerint, ut cognitionem eius idoneam omnes  
 vno ore fateantur comparari debere libris Graecis Latinisque  
 assidue et diligenter legendis; supina ista ignauaque Graeca-  
 rum

rum et Latinarum litterarum contentione fit, vt nec vernaculae linguae scientia accurata collegi a tironibus possit, adeo, vt omnem operam hoc in genere a magistris frustra consumi videas. Omnium autem minime ferenda est stultitia illorum magistrorum, qui, vt adiuuent et alant tarditatem pigritiamque mollem tironum, conuerti ab iis, vt alia volumina Graeca, ita maxime libros Noui Testamenti diuinos, non Latine, sed theotisce, iubent. Nam primo huius consuetudinis peruersitate non modo impediuntur pueri, ne intendant neruos mentis, vt assequantur sententiam verborum, quum, lecta quadam Euangeliorum particula, Lutheri versionis vernaculae verba recitent, sed capiuntur etiam paullatim periculofissima persuasione, vt, quae non intellegant, ea intellegere sibi videantur: deinde lingua Latina, propter summam, quae ei cum Graeca lingua intercedit, coniunctionem atque necessitudinem, exprimere aptius et reddere facilius omnem elegantiam et copiam et ornatum Graecum potest, quam lingua vernacula: denique multorum annorum vsu cognouimus, libris Graecis Latine vertendis, et Grammatices praecepta imbibi multo melius, et copias Latinas collegi longe certius, posse a tironibus, quam Latine reddendis particulis illis vernaculis, quae dictari vulgo a magistris solent. Quae quum ita sint; quum sciant magistri Ordinum Scholae Thomanae superiorum, antiquae disciplinae grauitatem et seueritatem excelsam donasse semper reip. meliores eruditioresque ciues, quam humilem nouae doctrinae mansuetudinem et leuitatem: tradent hoc quoque anno summa diligentia vtriusque linguae praecepta, et in explicandis Graecis libris vti discipulos lingua Latina iubebunt; sed linguae vernaculae studia atque exercitationes relinquent scholis maioribus et maturiori aetati. Et quia, vel inopia disci-

discipulorum reliquarum classium, vel aliae res, magistros earum cogunt etiam hoc anno sequi eosdem libros, quos superioribus annis sequuti sunt: indicabimus tantum breuiter, quos libros enarrare, quibus lectionibus nouis, et publicis, et priuatis, consulere constituerint, fauente deo, tironum ingenii magistri quatuor superiorum Ordinum, mensibus, et aestiuis, et hibernis.

IOH. FRID. FISCHERVS, A. A. M., *Rector*, Auditoribus classicis interpretabitur publice diebus *Lunae* et *Martis* hor. VIII. — X. *Librum III. Epp. Cic. ad Diuersos*, eiusque interpretatione absoluta, enarrare aggredietur eiusdem *Ciceronis de Officiis libros*: diebus *Merc.* et *Ven.* hor. II. — III perget *Virgilio Aeneida* explicare. Sed *Graecae linguae* studium aler in animis auditorum ita, vt continuet interpretationem *Pluti Aristophanis* aestiuis mensibus, mensibus hibernis *Euripidis Phoenissas* explanet, diebus *Iou.* et *Ven.* hor. VIII. — X. Vtiusque linguae librorum intellegentiam adiuuare studebit; publice, tradenda *Historia Catholica*, duce *Frei-ro*, diebus *Lunae* et *Martis*, hor. II. — III.; priuatim, explicandis *Antiquitatibus Romanis*, praeunte *Burmano*, diebus *Lun. Mart. Iou.* et *Ven.* hor. X. — XI. Et vt ingenium discipulorum non minus, quam stilus, acuatur; vt lingua etiam voxque formentur, non solum *Initia Geometriae* tradet, sed etiam instituet *Exercitationes Latine scribendi et dicendi*, duce *Ernesto*, diebus *Mercurii* et *Saturni* hor. VIII. — X.

CAR. AVG. THIEMIVS, A. A. M., *Corrector*, discipulis primae secundaeque Classis simul tradet *Initia Theologiae*

logiae Dogmaticae, duce *Huttero*, diebus *Lunae*, *Mart. Iou.* et *Ven.* hor. VII. - VIII.: et quum cognitio omnium dogmatum religionis Christianae hauriri debeat e fonte librorum vtriusque Testamenti, horum intellegendiam adiuuare conabitur enarranda *Historia Ruthae*, diebus *Lunae* et *Martis*, et explicanda *Epistola Pauli ad Romanos*, diebus *Merc.* et *Ven.*, hor. I. - II. *Stilum Latinum* acuet diebus *Merc.* et *Saturni* hor. VII. - VIII. et VIII. - X. Sed secundi Ordinis discipulos separatim docebit *Initia Linguae Hebraicae*; *Rhetorices* item, praecunte *Ernestio*; et *Geographiae veteris*, duce *Cellario*, diebus *Merc.* et *Ven.*, hor. X. - XI. et II. - III. Et vt copiolas eorum Latinas et Graecas, vel augeat, vel firmet, interpretabitur, diebus *Lunae*, *Martis*, *Iou.* et *Ven.* hor. VIII. - X. *Ciceronis Epp. ad Diuersos librum XVI.* et *Orationem. pro Q. Ligario*, itemque *Terentii Heautontimorumenon*, et *Locos ex Ouidii Fastis selectos*: et diebus *Lunae* et *Martis* hora II. - III. *Sallustii Belium Iugurthinum*: sed diebus *Lunae*, *Martis* et *Iou.* hor. X. - XI. *Xenophontis Apologian Socratis* et *Symposium*.

IOH. GOTLOB HOFMANVS, A. A. M., *Colliga Tertius*, discipulorum secundi Ordinis scientiam Latini sermonis augebit ita, vt non solum interpretetur, et *Ciceronis Catonem M.*, et *Horatii Odas selectas*, diebus *Lunae*, *Mart. Merc.* et *Iou.* hor. VIII. - VIII. I. - II., sed etiam *Exercitationes scribendi* instituat, diebus *Mart.* et *Ven.* hor. VIII. - VIII. I. - II.: quibus adiunget interpretationem *Xenophontis Memorr. Socratis libri II.*, et *Initiorum Arithmetices*, diebus *Lunae*, *Merc.*  
Ven.



*Ven. et Sat. hor. VIII. - VIII. et I. - II.* Sed tertiae Classis discipulis explicabit *Palaephati Fabulas*, et *Aeschini Socratici Dialogos*, diebus *Iou. et Ven. hor. VIII. - XI.*; *Ciceronis Laelium*, et *Epp. ad Diuersos librum XV.*, diebus *Lunae, Mart. et Ven. hor. VIII. - XI.*; *Iustini Historias Philippicas*, iisque absolutis *Eutropii Breviarium Historiae Romanae*, diebus *Mart. Merc. et Ven. hor. II. - III.*; sed *stylum eorum Latinum* exercebit diebus *Lunae et Sat. hor. II. - III. et VIII. - X.*

CHRISTI. AVG. KRIGELIVS, A. A. M., *Collega Quartus*, discipulis tertii quartique Ordinis proponet *Initia religionis Christianae*, praeunte *Freilingshusio*, singulis diebus, hor. *VII. - VIII.* Sed tertiae Classis urones separatim docebit Latina et Graeca, sic, vt interpretetur hor. *VIII. - VIII* diebus *Lunae I. Caesaris Commentarios de B. G.*; diebus *Martis Ouidii Epp. ex Ponto*; diebus *Iouis et Veneris, Plutarchi libellum de pueris recte instituendis*, et *Cebetis Tabulam*; sed diebus *Merc. et Sat.*, eadem hora, *Exercitationes Latine scribendi* instruet. Discipulis quarti Ordinis praecepta vtriusque linguae ita tradet, vt enarrat *Palaephati Fabulas*, diebus *Iouis et Ven. hor. X. - XI.*; *Aesopi Fabellas*, diebus *Veneris*, hor. *I. - III.*; *Ciceronis Epp. selectas*, diebus *Lunae et Martis*, hor. *X. - XI.*; *Corn. Nepotis Vitam Agesilai et Attici*, *Phaedri item Fabellarum Librum V.*, et *Hist. Selectt. Librum II. et III.*, iisdem diebus, hor. *I. - III.*: sed *stilo eos Latino* vt iubebit diebus *Mercurii hor. I. - III.*

PAVLVS

PAVLVS GOTLOB ANDREAE, A. A. M., Col-  
lega Quintus, discipulis quartae Classis inculcabit praecepta  
vtriusque linguae, ita, vt non modo interpretetur *Gesneri*  
*Chrestomathian Ciceroniamam, Fabulas Palaephati, et libros N*  
*T. historicos, sed etiam stilum Latinum* eos exercere iubeat, sin-  
gulis diebus hor. VIII - X

Caeterum veneramur precamurque deum immortalem  
castissime, velit numine suo, etiam hoc anno, ita adesse stu-  
diis laboribusque magistrorum omnium, vt discipuli inde, at-  
que adeo respublica, fructus capiat quam plurimos et quam  
maximos, sed ad ipsos magistros redundet fidei diligentiae-  
que laus dulcissima et firmissima.

P P. Nonis Maius A. C. CIO DCCC LXXI

*[Faint bleed-through text from the reverse side of the page, including names like 'Gottlob Paulus' and dates.]*

PAVLVS

210



Pon.  $\gamma c$  6514 QK  
2 = (1777172.)


ULB Halle

3

001 857 444







2-949

Yc  
6514

I N D E X  
L E C T I O N V M

PVBLICARVM ET PRIVATARVM

Q V A E

AB MAGISTRIS SCHOLAE THOMANAE

HABEBVNTVR

INDE AB EXAM. VERNO A. C. CIO IOCC LXXI

VSQVE AD EXAM. VERNVM A. C. CIO IOCC LXXII



L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA

